



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Erendrudis Abbatissa. 30. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

lo jam propior. Jam PAVLVS ille cæli etiam ante fata civis , ille nominis JESV per omnem orbem præco , post edita miracula , & literarum oracula quām plurima , hoc ipso die PETRO triumphanti collega additus , securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac , deinde tergeminos fontes totidem saltibus dedit , oleum interim effusum , JESV nomen clamando immiscens. Agnosceres tam pretiosis liquoribus refertum Electionis Vas esse. Ex Hist.Ecccl.

Pro nobis facit Apostolorum vita , & doctrina , & mors ipsa : Etenim in conversatione continentiam , in predicatione sapientiam , in passione suâ patientiam nobis contulerunt . S.Bern.serm.3. de SS. Apost. Petro & Paulo.

S. ERENDRUDIS ABBATISSA. 30.Iunii.

ERAT ERENDRUDIS D. Ruperti Noricorum Apostoli neptis, non tam sanguine huic, quām virtute propinqua. Itaque magisterium in DEO devotas virgines jam tunc , cùm in Galliâ adhuc ageret, exercuit. Sed uti Rupertum virorum, ita ERENDRUDEM mulierum nec minus potens invidia cedere è Galliâ coëgit. Itaque inter auxiliares copias , quas fidei bono in Boicas terras induxit Rupertus , etiam hanc numeravit , & exædificato ad Juvaviam Deiparæ honori Parthenone , illic collocavit virginem , matremque aliarum virginum voluit esse : quod officium illa sic implevit, ut non harum modò , sed pauperum omnium mater audiret, quibus tectum victumq; nunquam nō præbuit. Pedes etiam eorum lavare, ulceraq; velut gemmas gaudens tractare. Ipsa mensē accumbens, non tam corpus cibo , quām animum piis de Deo collo-

30. Junii. VITÆ S A N C T O R V M . 325

colloquiis reficiebat, quo ut frueretur, dici non potest, quām abire ē vitā properarit. Tumulum ejus ingentia miracula coronarunt: unum alterūmve denarro. Monachus in hereditatem D.E-RENDRVDIS invaserat, ausus partē salinarii montis sibi afferere: & occupavit ille terram, quam petiit, sed subito fato in ipso loco, & perjurio extinctus. Aliam expertus est Henr. S.Cæsar, qui morbo tentatus, amuletum ē collo suspendit anulum aureum, reliquiis virginis (gemmais utique grandibus) gravem. Atque hunc cum amisisset ille, & ab infesto morbo iterum oppugnaretur, præsentem iterum medicinam ad tumbam ERENDRV-DIS reperit, ut qui se Henrico tunc debebat orbis, idem ipsum Henricum ERENDRVDI deberet. Ex tom. 6. lect. ant. Canis.

De terrâ es, & de terrâ vivis, & in terram revertaris. Certum est, quia morieris; sed incertum quando, & quomodo, aut ubi: quoniam ubique mors te expectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam expectabis. S.Bern. l.Med.c.3.

O 7 JU-